





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE

**SENECTVTIS  
PRAESIDIIS**

QVAM

1724 35

AVCTORITATE ET CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ACADEMIA VITTEMBERGENSI  
SVB MODERAMINE

**DN. ABRAHAMI VATERI**

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ANAT. ET BO-  
TAN. SVBSTITVT. VT ET SOCIETAT. IMPER.

NAT. CVR. ET REG. BRITANN. SOCII

**DN. PATRONI AC PRAECEPTORIS MAXIME  
COLENDI**

**PRO GRADV DOCTORIS**

AC PRIVILEGIIS IN ARTE SALVTARI  
LEGITIME CAPESSENDIS

AD DIEM III. IVLII MDCC XXIV.

IN AUDITORIO MAIORI  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SVETIS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

19.

AVCTOR

**M. ADOLPH. GOTTL. RICHTERVS**  
ANNAEBERG. MISN.

VITEMBERGAE LITERIS SCHROEDERI.

LIBERIUS  
PATER  
MAGISTER  
SCHOLARUM  
PRAESES  
IN ALIA SCHOLA  
PRAEFAT  
AD PAVLUM  
PROLOGO  
VADIT  
HADOPHI  
GOTTI  
RICOH



# PROOEMIVM

*Vt eadem omnibus omni aetate non conueniunt,  
quae morum honestati, ingenii incremento ac sor-  
tis amplificationi foenerantur: Sic Morbos, quibus  
humana corpora obnoxia sunt, non omnibus consen-  
taneos et proportionatos esse, sed sub certis saltem  
aetatibus, temperamentis, Solis et Lunae curriculo  
atque uiuendi modo ea inuadere obseruamus. Alii  
enim ratione aetatis Infantes, adultiores, Senes ema-  
ciant, alii etiam ratione uiuendi generis Eruditos,  
Ruricolas, Operarios, Milites et Classiarios corri-  
piunt, alii iterum ratione temperamentorum San-  
guineos, Cholericos, Melancholicos et Pituitos pre-  
munt, aliis denique ratione Sexus sequior prae nobi-  
liori implicatur. Quorum singulorum naturam qui  
citra uulgarem modum perspectam habet, oppido de-  
prebendit, eos non casu, aut sine causarum antece-  
dentiun nexo contingere, sed pro cuiusuis textura et*

A 2 bumo-

humorum motibus contrahi atque uariare, nec tam  
men fatali et indeclinabili quodam decreto ita cer-  
tis alligari subiectis, ut iis occurrere nequeamus.  
Exinde patet, quare Infantes, quorum corporis struc-  
tura humida, laxa, spongiosa et superandis leuibus  
inuiriis impar est, Rachitis, Aptiae, Lumbrici, Asca-  
rides, Crinones, Umbilici Inflammationes et id genus  
alia tam facile inuadant. Similem in modum Iu-  
uenes Haemoptysibus, febribus acutis, hecticis, pleu-  
riticis, arthriticis etc. tentatos conspiciens Fatum  
aut mentem errantem non accusat, qui naturalis  
edoctus doctrinae eorum calorem natuum, digestio-  
nes omnes fortes, tum corporis atque animi motiones  
iuenibus assuetas in memoriam reuocat. Parira-  
tione Venerandae senum Familiae ea contingunt  
Affectuum genera, quae cum illius natura a com-  
memoratorum aliena congruunt. Eodem quoque modo  
se res habet cum aliis, quos suum uiuendi genus, bu-  
morum temperatura et sexus ad peculiares disponit  
Morbos. Quae omnia Medico cuicunque scitu ne-  
cessaria sunt, ut debitiss morbos praesidiis in tempo-  
re, quoad fieri potest, praecauere, arcere et curare  
possit. Inter illos uero Infantum et Senum Morbi,  
uti prae caeteris frequentiores, ita quoque curatu  
difficiliores sunt. Illi ob compagem corporum tener-  
rimam et remediorum auersationem, hi ob uires et  
consequenter actiones omnes uitales et animales  
lang-

languescentes. Quos Senum, qui alias bis pueri di-  
cuntur, affectus quomodo plane auerti, aut ad mini-  
mum mitigari possunt, Consensu Gratijs Ordinis  
Medici Speciminis inauguralis loco perquirere ani-  
mus est. Vbi indicatum uolo, non singulos me per-  
tractaturum morbos, qui in senes, accendentibus aliis,  
quarum mentio facta fuit, circumstantiis, cadere  
possunt; id enim instituti limites non permittunt:  
sed eos saltem, quos natura senio magis familiares  
iudicauimus. Quo fine nec eos numero exclusimus,  
qui etiam si iuniores rarius occupant, hic tamen alias  
causas et per consequens aliam Curam habent. Prae-  
potens autem ille rerum omnium Moderator DĒUS  
nostros ita labores dirigat, ut in fructum Senum,  
quorum Consilia eos terrestria faciunt oracula, re-  
dundare possint.



A 3

THES. I

## THES. I.

Senectutis  
Definitio et  
Necessitas.



Enectutis uocabulum, quod pas-  
sim modo uiribus deiectis et lan-  
guidis sine respectu annorum,  
modo annosis circa uirium respe-  
ctum imponi solet, illam hic aeta-  
tem indigitare debet, qua corpus  
uiuum ex longo annorum decur-  
su iacturam facit uirium et senescit. Est enim Sene-  
ctus definiente ita Schradero Dissertatione de Sene-  
ctutis Praesidiis Morbus incurabilis et ineuitabilis ille ui-  
tae terminus non a DEO tantum nobis postus, sed ex na-  
turalibus pariter causis homini praefixus. Idque cum ui-  
uentibus cunctis necessario contingat, a Senectutis im-  
becillitatibus nec plantae immunes sunt, quorum mo-  
tus intestinus naturalis aequa ac animalium, laesione  
organorum, quibus suo modo instructae sunt, tum de-  
fectu succi nutritii et principii actiui perturbatur et  
imminuitur. Commune enim, ut iudicat VVelsched in ele-  
ganti de aetate uergente ad Hugonem Episcopum Bristolien-  
ensem hoc anno edito Tractatu, plantarum atque animan-  
tium est, ut ad maturitatem sibi propriam perueniant, ac  
deinde deficiente sensim uigore, in quoddam quasi senium  
declinent. Tam fragilis autem et caduca est corpo-  
rum uiuentium structura et in primis hominum, quae  
maiori et elegantiori organorum apparatu caetero-  
rum machinas longe superat, ut tempore, cui nec sa-  
xa resistere possunt, fatiscat et dilabatur. Ea enim  
partium solidarum et fluidarum omnium constitutio  
naturalis et harmonia attritu multo diuturnoque mo-  
tu

tu sensim infirmatur et destruitur, qua naturali lege  
inevitabilis uitae terminus a DEO nobis praefixus  
uidetur.

## THES. II.

**C**ausa itaque senectutis est imminuta reparatio ab-  
sumpti, quod perpetuo effluvio perditur, a poris <sup>xima et re-</sup>  
ac meatibus ductuum paulatim immutatis tonoque  
viscerum et vasorum debilitato proficisciens, quibus  
secretio mechanica et segregatarum particularum in-  
cuneatio aegrius perficitur. Languet enim Chylifica-  
tio, Chyli secretio, Sanguificatio, Sanguinis depura-  
tio et Circulatio, languent impuritatum per Vrinam,  
aluum, transpirationem, glandulas narium etc. Se-  
cretiones, quae respectum seruant ad proportionem  
motus ac impulsus cordis. Vnde neque defecatus no-  
nus succus nerueus per functiones et vigilias dissipat-  
us in sufficienti copia regeneratur, neque debita parti-  
tum Chylosarum et gelatinosarum sanguinis in cor-  
pus distributio et assimilatio peragitur, quo natura sic-  
cior euadit, corpus ob subsidentiam et contractionem  
vasorum et fibrarum macilentius redditur ac rugas  
contrahit. Ad huius accelerationem Symbolum in-  
primis confert connata membrorum infirmitas, tem-  
peramentum uitiosum, Aer impurus, nimis calidus,  
frigidus, humidus uel siccus, crassus, salinis aliisque  
effluuiis impuris permistus, Cibus et potus quantitate  
aut qualitate uel tempore et modo inconuenienti as-  
sumptus, somni et uigiliarum imo Veneris abusus, la-  
bores aut nimii aut nulli, animi pathemata graui-  
ra, mu-

ra, mutationes omnes subitaneae, et res praeter-naturales quaecunque.

## THES. III.

Senescenti - Exinde apparet, quid causae sit, cur alii hominum ci-  
um temporo- tius, alii tardius senectute ingrauescant. Scilicet  
ris incerti in tantis coeli tempestatibus et commutationibus quo-  
ratio, dam collocauit nativitas aut sors, ut, dum communi-  
uiuendi pabulo fruuntur, hoc solo saepe sibi endemia  
contrahant mala. Eleganter eam in rem loquitur  
VVelsted l. c. Inficiandum non est, commodam uel incom-  
modam hominum ualetudinem a regionibus plurimum pen-  
dere, non solum ubi nascuntur, uerum etiam ubi a teneris  
annis educti fuerunt. Ideoque plures uidemus, quorum  
ualetudo secunda gradatim confirmatur bac uel illa peregrina  
regione, qui, dum in patria immorarentur, imbecillio-  
res fuerant. Plerosque sane adolescentes regiones frigi-  
dae magis iuvant, et perpauci sunt, quos ardentia sub So-  
le Climata non eneruant, aut celerius, quam par est, ma-  
turbanter. Quanta uero Aeris efficacia in omnes corpo-  
ris partes sit, non solum Magnif. Dn. Christiani Vate-  
ri Physiologia et Semiotica ordine refert, sed etiam  
elapso demum anno in peculiari libro Professor Duis-  
burgensis D. Gottlieb Ephraim Berner pertractauit,  
ad quos libros breuitatis studiosos lectorem relegare  
malo, quam ueritati toties comprobatae superflua ad-  
dere. Deinde etiam pro diuersorum uitae generum,  
uictus et porus, nec non connati roboris ratione cor-  
porum constitutio uariat, ita, ut alii maioribus, alii  
minoribus laboribus et curis uacantes diutius uitam  
uegetio-

uegetiorem degant, uel contra. Docent hoc exempla zorum, qui in iuuentute capillorum canitiem, interdum subitaneam, a moerore contraxerunt, ubi contra senes bono corporis habitu praediti et sibi temperantes quandoque in ipsa senecture decrepita non senescunt, sed capillis et uigore iuuenes referunt. Dici enim uix potest, quantum uirium iacturam animi pithemata inducant, quantumque ad senectutem accelerandam faciant, cum e contrario labores corporis moderati tonum partium augeant, uiresque corroborant. Ut taceam res morbosas, quarum numerum inire uix quisquam poterit.

## THES. IV.

**E**x hactenus dictis constat, et experientia quotidiana confirmatur, senectutem esse indeclinabilem, eamque, licet in aliis citius, in aliis tardius ingruat, tandem tamen necessario accedere: quia DEVS usu arboris uitae interdixit homini, cuius beneficio, teste Sacro Codice, eam arcere, mortemque ipsam auertere potuisset, nisi inobedientia in Creatorem ingratus fuisset. Nemo enim hactenus mortalium mortem euitauit, nullusque in uiuis superstes mansit, nisi forte pro uera quis habere uelit historia fabulam de Iudeo immortali, qui ob id, quod Seruatorem nostrum, cum praetorio extraheretur, pugno impulerit, dicens, uade Iesu, citius uade, responsum ab ipso tulisse. Ego uado, et tu expectabis, donec ueniam, adeoque singulis centum annis reiuuenescens et nullibi sedem fixam inueniens perpetuo per mundum ambulare, ac finem

Senectus an  
auerti que-  
at, et reiuue-  
nescens  
possibilis sit?

B mundi

mundi expectare fertur, uti uidere est in Tack. Chr. Sō-  
gon. animal. et mineral. Memoratu autem digna se-  
num, renouatis dentibus, capillis ac cuticula corporis,  
reiuuenescentium exempla ex Auctoribus fide dignis  
non pauca recenset Caph. a Reies in Camp. Elys. Qu. 26.  
ubi ex professo disquirit, an possibile sit, hominem se-  
niorum confectum reiuuenescere. Talem quoque casum  
a D. Christiano Menzelio relatum uidere licet in  
Ephem. Germ. Dec. II. Ao. III. Obs. XV. senis 120. an-  
norum, qui anno aetatis 118. oborto capitis et maxilla-  
rum dolore, omnium dentium regenerationem exper-  
tum se esse affirmauit, quale quid etiam eodem aeta-  
tis anno ipso referente obtigerit alii Seni Anglo 120. an-  
nos habenti, ac eo tempore Hagae Comitis degenti.  
Non habeo, quod contra horum uirorum auctorita-  
tem fidemque afferam. Cum uero exempla talia sint  
rarissima, et facilius sit senectutis incommodis obuiam  
ire, quam iuuentutem restituere, de illo nunc potius dis-  
quirendum erit.

## THES. V.

Senectutis  
retardatio  
an possibilis?

*Experientia discimus, senectutem, arcendo ea, quae*  
*naturae humanae noxam inferunt, retardari, eius*  
*incommoda differri, leniri, uires diutius conseruari,*  
*et sic aetatem nostram, licet non ad aliquot cente-*  
*nos, ultra tamen octoginta imo centum annos exten-*  
*di posse. Cui quidem obstare uidetur diuinum illud*  
*effatum, cuius ui quilibet mortalium uitae suae termi-*  
*num habet, quem, quia numerus dierum mensium-*  
*que nostrorum penes DEVM est, nemo transgres-*  
*sus est, aut transgredietur unquam. Quod uero*  
*non*

Job. 14, 5.

non simpliciter, sed secundum quid, nempe respectu causarum interuenientium a DEO aequae praeuisarum praedictum fuisse, uel ex eo colligendum, quod, hoc falso, omnes promissiones longaeuitatis et comminationes breuioris uitae frustaneae, iisque ridiculi forent, qui aut fugiunt pericula, aut uitae seruandae media quaerunt.

## THES. VI.

**V**itam itaque a senii incommodis disiunctam diutis-  
sime seruari posse euincunt ex omnibus seculis et  
gentibus exempla, quorum pauca allegasse sufficiet.  
Essenos olim longissimae uitae fuisse, et plerosque  
eorum ad centenariam aetatem peruenisse grauis Au-  
ctor Iosephus de bello Iudaico testis est. Sic Hippo-  
cratem, Galenum, Auenzoam, Auerroem annum  
centesimum proxime attigisse, si non superasse Caeli-  
us, Fulgosus et alii tradunt. Et de suo aeuo Iosephus  
Scaliger, multiungae eruditionis Vir, Elencho Orat.  
Chronol. Dauid. Paraei ita perhibet: *Nos possimus pro-  
ducere, quos centum et uiginti quinque, imo centum et tri-  
ginta annos uitae expleuisse scimus, uidimus, meminimus;*  
*vnus etiam senex amicis nostris miraculo fuit Lutetiae  
Anno 1588. qui miles pugnae montis Lehenii interfuerat sub  
Ludouico XI. maior annorum centum et quadraginta, omni-  
bus membrorum officiis adhuc integris, litis persequendae  
gratia Lutetiam se contulit.* Non opus est, ut exempla  
longaeuitatis ex antiquitate repetamus, quia nostris  
temporibus non desunt longaeui tales, quorum 140.  
recensentur in Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. VIII. p. 91.

B 2

qui

qui per annum 1719. in ditionibus Borusso-Brandenburgicis nonagesimum pluresque dehinc annos ad numerum 125. usque impleuerunt, et in iisdem Dec. I. Vol. IX. p. 51. numero 48. qui per annum 1720. nonagesimum et centesimum quoque aetate superarunt, item Anno 1721. vir peregrinus 98. annorum, duae uideuae 100. et alia 102. annorum exticti leguntur ibidem Dec. II. Vol. I. pag. 88. Qualia etiam exempla quamplurima in Actis Breslauientibus enarrata uidere licet. At inter omnes recentiores senii prouecti causus est ille maxime notabilis, quem nuper per nouellas publicas Liplienses accepimus, viri in Hungaria centum et octoginta quinque annos habentis, qui fere fidem transcenderet, nisi circumstantiae id ipsum confirmassent.

## THES. VII.

*Senii antediluviano-rum eximii ratio Theologica,* **H**orum aetas quamvis maxime optabilis et satis longa fuerit, illam tamen non aequat, quam uiuendo maiores ante diluvium nati. Proinde non abs re esse arbitror indagare causas, ob quas primaeui et antediluviani doctore pentateucho uiuaciores fuerint, quam postdiluviani et in specie hodierni. Hic omnino emicat causa supernaturalis, gratia DEI specialis, et locum habent Theologorum rationes, uitam illis ad propagandam prolem et ecclesiam ueram, monumentis fidei nondum editis, nascente mundo diuturniore a DEO fuisse concessam.

## THES. VIII.

## THES. VIII.

**H**aec autem non uetat, quo minus credam, natu-  
rales concurrisse causas, illorumque faueam sen-  
tentiae, qui terram ante diluuium uniuersale ad sanita-  
tem conseruandam et uitam prorogandam aptiorem,  
quam nunc, fuisse autumant. Ea enim et quae postea  
enata sunt alimenta inundatione tanta tot impuritati-  
bus salinis, sulphureis, putridis aliisque contaminata  
fuisse uidentur. Non autem cum iis facere possum,  
qui mundi uniuersi ad interitum uergentis senectutem  
accusant, nec Burnero assentiri, qui in *Theoria telluris  
sacr.* existimat, aequalem ante diluuium fuisse tellu-  
ris formam, nullis inaequalitatibus montibusque ac  
uallibus circumiectam, ac ob situm uersus solem di-  
uersum nullas aëris mutationes et anni tempestates  
subiisse, omnia uero, diluuiie orta demum mutata fu-  
isse. Licet igitur nemo inficiauerit, globum terra-  
queum a diuturno hoc diluuiio ualde immutatum fui-  
sse, uti testantur rudera eius, de quo uideri potest *Theatr.  
Reliqu. Diluu.* Clariss. Scheuchzeri, adeoque ter-  
ram et exhalantem aërem atmosphaericum impurio-  
rem redditum fuisse: Praecipua tamen culpa, iudicio  
Nobilis Dn. de Berger in Dissert. de Vita longa, meri-  
to coniicienda erit in uictum post diluuium mutatum,  
introducto in primis usu salis et liquorum fermentato-  
rum, unde humores acres generati Veneri aliisque in  
Diaeta erroribus occasionem praebuerunt. Hoc enim  
certissimum est, desidia atque luxuria uires frangi, ui-  
taeque terminum accelerari. Cum e contrario ad  
longiorem uitae in antediluuiianis conseruationem non

B 3

parum

Causae na-

parum contulerit ipsorum corporum robur ac temperamentorum bonitas a parentibus adhuc sanis in posteros propagata, nec non salubritas coeli et regionis, quam Orientem uersus inhabitabant, cui accessit perspecta illorum frugalitas et temperatissimus rerum omnium, ciborum, potuum, animi ac corporis motuum, imo Veneris usus, quam seris plerumque annis amplectebantur.

## THES. IX.

Longaeuitatis an per diluianis, quam aliis recentioribus hactenus enarratis, ad miraculum et causas supernaturales configere non opus est, cum nullum sit dubium, principia procrastinandi uitam in ipsa latere natura. Num uero ars naturae aemula illam hic imitari, idque per medicamentum aliquod obtinere queat? istud nunc in disquisitionem uenit. Non defuerunt sane omni tempore, qui amore uitae ducti medicamento tali inhiarunt, neque plane tales, qui hoc inuenisse iactitarunt. Non adducam empiricorum fumiendorum hodie admidum frequentium Charlatanerias, e quorum numero procul dubio fuit impostor ille sub nomine Principis Americani Hultazob per Germaniam peregrinans et medicamenta ad uitam prorogandam uendens, quorum ope ipse annum duodecimum supra centesimum attigisse mentitus est, cuius arcana, mores, uitae genus et effigies uideantur in Actis Breslau. Anno 1718. Mens. Ian. et Sept.

## THES. X.

## THES. X.

Talem uero Medicinam omnes morbos curantem  
 ac senectutem auertentem, imo iuuentutem restituente  
 tuentem in lapide dicto philosophorum quaeſiuerunt  
 et inueniſſe perhibuerunt tam uereres quam recentiores  
 Chimici. In quam ſententiam cum plures eruditos  
 Medicos descendisse deprehendam, et praeterea noſtro quoque ſeculo exempla transmutationis metallo-  
 rum, eius beneficio peractae, innotuerint, non habeo,  
 quod contra illam proferam, ut potius aliis hanc pu-  
 gnam decidendam relinquam. Id ſaltem dolendum  
 eſt, illos, qui poffeffores eius uideriuoluerunt, id ipsum  
 ſuo exemplo non comprobaffe, ſed in flore aeratis non  
 raro extiactos fuifſe, quod de Paracelſo inprimis an-  
 notarunt Auctores. Similem in modum ex animalibus longaeuiſ uel uegetabilibus pree aliis durabilitate  
 conſpicuis uel iſpis mineralibus corrumpi nesciis hu-  
 iuſmodi medicinam ad longaeuitatem parare allabora-  
 runt Medici. Ita ex Ceruo, quia mutatis quotannis  
 cornubus quaſi reiuuenefcit et uitam longam trahit,  
 ex uiperis et serpentibus, quia ſingulis annis exuuias  
 deponunt, talem sperant, uti auctor nobis eſt *Tacki-*  
*us loco ſupra citato.* Dioscorides eam in Cedro, ideo,  
 quod illa mori nescia et arbori uitae ſuccedanea ae-  
 ſtimatur, alii in Junipero, cedri ſuccedanea, ac Ger-  
 manis propterea *Wacholder* oder *Beckolder* quaſi *Wach-*  
*ſam halter* oder *Wick alter* oder *Wacker alter* dicta, quaeſiuerunt.  
 Singulares quoque virtutes adſcribuntur Valeriana, Melißæ ac inprimis Carliinae, quae Carolo  
 Magno, ut exercitum ſuum a pestilentia defenderebat, ab  
 Ange-

Angelo ostensa dicitur, ac sola gestatione uires augere, imo aliis in uicinia gradum sistentibus easdem adimere, ac gestanti per uim magneticam communicare, creditur, forte, quia isti odore eius laesi et debilitati fuerunt, uti recte monet *Valentin. in Mus. Muscor. L. II. Sect. II. Cap. 18.* Similes uires, ob similitudinem cum homine, confortandi et uitam protendendi hodie Radici Ginsing seu Ninsi pretiosissimae tribuuntur, qua intentione illa Anno 1699. Regi Galliae ab Imperatore Chinessi missa est, uti docent *Act. Breslau. Anno 1718. Mens. Maii Clas. IV.* Nolo his omnibus suam laudem detrahere, neque earum in Medicina usum negare, illum tamen magnificis laudibus atque uoto minus responderem experientia testatur.

## THES. XI.

Diaeta optimum ad longaeuitatem remedi-  
um.

**H**oc sane certissimum, ac exemplis antea allatis et quotidie occurrentibus confirmatum esse autum; homines longaeuos non tam medicamenta cuiusdam singularis beneficio, quam bonitate naturæ ac diaeta conuenienti tantam aetatis fastigium attingere. Vbi quoque nec alimentorum aquarumque simplicium, quot quot alias ad sanitatem faciunt, nec lactis aut mellis multisque ex eo parati, utpote certis tantum temperaturis proficuorum, usum omne punctum ferre posse credendum est, quamuis haec ad longaeuitatem conciliandam commendentur. Totum potius momentum in decenti ac temperaturae cuius accommodata omnium sex rerum non naturalium ad uitam conservandam necessiarum applicatione ac modo consistit.

fistit. Frustra tamen generalis diaetae norma ponitur, ut iudicat *Magnif. Dn. Christ. Vaterus in Dissert. de Vitae prorogatione, ubi tot circumstantiae uariant, inde que neutiquam omnes legibus generalibus promiscue obligandos esse potamus, sic enim medice uiuere pessime esset uiuere.* Rerum autem non naturalium usus legitimus quid in recessu habeat, et ad procrastinandum senectutem conferat, neminem sane latebit, qui aut illam Medicinae partem practicam, quae sanitatem conseruandi regulas tradit, per transennam adspexit, aut saltem ex iuantibus et nocentibus iudicare satagit. Multum itaque refert aëre puro et temperato frui posse, qui uitae nostrae fons, spirituum pabulum et catholicum animalium mouens, ac iuxta Hippocratem L. de Flatibus §. IV. maximus in omnibus, quae corpori accidunt, auctor et dominus est; quique sensum ac motum nec non robur partibus praestat. Praeterea etiam quilibet intelliget, quid utilitatis corpori accedit convenienti alimentorum et potus regimine. Cum enim ad nutrientum corpus talis Chylus et Sanguis elaboretur, qualis cibus et potus fuit: horum examen non immerito instituitur, ac eius qualitas, quantitas et modus cum corporis alendi habitudine componitur. Sic motionibus corporis necessariam transpirationem et motum peristalticum promouere, viresque iterum quiete et somno moderato colligere possumus. Quemadmodum igitur, qui legum ciuilium sunt obseruantes, in Republica salutem sibi atque tranquillitatem parant: ita etiam, quibus legum medicarum obseruantia non despiciunt, sed curae cordique est, ii prosperam et longi-

C

longi-

longiusculam ualetudinem, qua nihil potest esse in uitia carius, sibi conciliare poterunt.

## THES. XII.

Morbi senectutis culpa oriundi,

**D**olendum tamen uehementer est, paucissimos admodum esse harum legum obseruatores, sed plerosque, in primis corpore sano uiriumque robore gaudentes, intemperantia uim sibi inferre. Vnde fit, ut paucissimi ad senectutem pertingant, aut si ad eam aegre perueniant, uitam tamen morbosam trahant, ac errorum in iuuentute commissorum poenas sat graues luant. Quamobrem accedo nunc ad morbos et affectus senibus familiares ac senectutis uitio oriundos, et uidebo, quomodo illis propter remedia apta occurri debeat. Tales autem praecipue sunt Debilitas uentriculi indeque oriunda tam uaria mala, Alui modo nimia laxitas seu Diarrhoea, modo adstrictio, Catarri et morbi catarrhales, Asthma et respiratio difficilis, Nephritis, Arthritis, Debilitas uisus, auditus ac reliquorum externorum et internorum sensuum, Vertigo, defectus Memoriae, tandem affectus Soporosi et Apoplexia. Horum singulorum morborum causas speciales pro instituti ratione angusto orationis ambitu amplectemur, earundemque curam appropriatam reciso uerborum syrmate breuissimis subnectemus.

## THES. XIII.

Debilitas  
uentriculi

**P**rimaria morborum internorum Scaturigo uti in omnibus; ita in primis in senibus extra dubitationis aleam

aleam dicenda est Debilitas uentriculi, ciborum assūmēt Sympto-  
ptorum difficilis uel nulla digestio, ab ipsius uentriculi <sup>mata inde</sup>  
aliarumque partium adiuuantium laesione dependens.  
Cuius cause apud senes deprehenduntur defectus aut  
uacillatio acutorum dentium, indeque deficiens cibo-  
rum masticatio debita, qua uel sola intermis̄a crudita-  
tibus et exinde oriundis multis morbis locus datur,  
iuxta illud, uitam odit, qui masticationem odit. Recte  
enim ex dentium numero et firmitate uita longaeua  
promittitur. Accedit saliuia iusto uiscidior et menstru-  
um uentriculi minus spirituosum, quibus deprauatis  
particulae ciborum solidiores dilui satis et dissolui ne-  
queunt. Commendandum igitur illis est consilium  
*Schraderi Diff. de Senectut. praesid.* ubi ita loquitur: *Vi-*  
*di senes quosdam Sanitatis studiosos molitoribus dentibus*  
*destitutos cultello suo magna diligentia escas et carnes in*  
*minima discindere.* Hos imitentur alii, quibus ualetudo  
curae est; diuisi enim sic cibi ac in ore dein diutius uolata-  
ti salinali bumore melius imbuuntur et ad secuturam in sto-  
macho resolutionem præparantur. In illis enim motus  
uentriculi et intestinorum peristalticus ob remitten-  
tem natuum elaterem alias infirmus est, adeoque at-  
tenuatio ciborum et præparatio Chyli segnius perfici-  
tur. Porro ulteriorem Chyli digestionem minus pro-  
mouent succi, qui in duodeno confluere debent, bi-  
liosus et pancreaticus ob inertiam, qua crassiorum par-  
ticularum incisio et diluitio fieri nequit, unde transco-  
latio in uasa lactea infelicius succedit. Ex uitiosa di-  
gestione in primis uitis Symptomata generantur seni-  
bus familiora, e quarum Classe est Diarrhoea, quae <sup>Diarrhoea</sup>  
copiosa et frequens humorum corruptorum qualium.

C 2

cunque

cunque per anum reiectio dicitur, ab humoribus istis intestina ad excernendum continuo stimulantibus ora-  
ta, quae, si Chylosa et ciborum plena excretio est,  
passionis coeliaca et Lienteriae nomen accipit. Vti  
Passio coeli- uero irritatio illa ab humoribus, prout excernuntur,  
aca et Lien- uitiosis, acribus, acidis uel falsis, biliosis, uiscidis et  
teria. mucosis, uel magis serosis semper dependet, quippe  
qui deinde termina, inappetentiam, sitim, inquietudinem  
aliate Symptomata important: Sic isti ab erro-  
ribus Diaetae, cibis prauis, fermentabilibus et putre-  
scientibus aere impuro, decubitu seri ad glandulas inte-  
stinales et ibidem acescentis, animi pathematibus gra-  
uioribus etc. originem ducunt, id quod augetur laxita-  
te fibrarum uentriculi et intestinorum undecunque  
contracta. Aliis uero, qui minus serosi sunt, Alui ad-  
strictio contingit, quae est imminuta uel saepe abolita  
fecum aluinorum reiectio, a motu intestinorum, inprimis recti, peristaltico inhibito proueniens. Impedi-  
tur quippe motus iste dilatatorius et constrictorius tum  
culpa ipsorum intestinorum, si in senibus nimium ex-  
ficcantur, herniis contorquentur, Paralyssi tanguntur  
et a rebus p. n. obstruuntur etc. tum culpa humorum,  
quando illi, in primis clyisma illud naturale, bilis, ut et  
succus pancreaticus, lymphaque intestinalis deficiunt,  
aut saltem uitio laborant, nec non excrementa nimis  
tenacia et indurata sunt, tum culpa urrorumque. A-  
lias Hippocratis effatum firmiter stat, ubi Aphor. 20.  
L. II. dicit: *Quibus iuuenibus profusior est aluus, iis se-  
nescientibus contrahitur. Et quibus in adolescentia fuit  
adstricta, affecta aetate soluitur.* Nullam aliam certe  
ob causam, quam quod humiditas diarrhoeis in iu-  
uen-

Alui adstri-  
ctio

uentute frequenter absumpta in senectute deficit,  
contraria vero ex parte siccitas intestinorum in ado-  
lescentibus a fortioribus digestionibus ac temperatura  
calidiori dependens remittente tono sola aetate cessat  
et corrigitur.

## THES. XIV.

**V**itium primae, ut dicitur, digestionis non corrigitur in secunda, in primis in aetate proiectis, in quibus elater per naturam remittit, unde cruditates in Sanguine cumulantur atque in colatoriis et depurato-riis uisceribus, ac praecipue glandulis obstructiones emergunt. Originem inde trahunt infenissimi senibus hostes diuersi generis Catarri, siue stagnationes atque affluxus et decubitus seri in loca incongrua et aëri magis exposita a secretione et motu lymphae impedito proficisciентes, iisque eo frequentiores, quo pluribus purgamentis humores in senibus onusti sunt. Hic enim tum uiscositas et spissitudo lymphae impedit, quo minus haec in glandulas siue solum tubulos colligatur, ac in circulum redigatur, tum tenuitas et acredo, aut sola quantitas excedens premendo et rodendo extravasationem huius seri dignit, quorum sedes radicalis in sanguine et remotius in uentriculo et aliis uisceribus deprehenditur. Quibus perspectis collectu facillimum est, quantum referat sanguinem omnis lymphae fontem sartum tectumque, et ab omnibus maculis liberum seruare, sibique non solum a tempestate aëris pluuiosa, nebulosa et inaequali temperare, uerum etiam alimentorum selectionem hic, si ullibi, maxime

C 3

neces-

necessariam agere. Eadem lymphae uitiosae stagnatio in pulmonibus ac organis reliquis respirationi dicitur hanc difficultem atque anhelosam reddit, unde Asthma ac Tussis. Quamuis enim hae innumeratas febre causas agnoscant, nostrum tamen est eas saltem recensere, quae senio oboriri solent. Tales praebent ex organis partim Musculi longo tempore defatigati et rigidi, partim ipsa pulmonis substantia rigidior facta, ut flecti et expandi expedite nequeat, partim etiam costarum Cartilagines ad ossium naturam nunc magis accedentes et motui consueto obnitentes. Deinde etiam ipsi humores culpae consortes sunt, si quantitas deficiens excedensque, uel qualitas eorum uitiosa fibras nervosas in pulmonibus premit, irritat et spasmodice constringit, ut pulmones absque summo conamine moueri nequeant. Vbi, si ex subitanea lymphae uel sanguinis stasi Apnoea oritur, Catarrhus suffocatiuus

Asthma,  
Tussis, Ca-  
tarthus suf-  
focatiuus,

Nephritis, stylo uulgari audit. Ad Catarrhorum Classem pertinet pariter Nephritis atque Arthritis. Nephritis est dolor exquisitus lumborum et in specie Renum, cum Nausea, Vomitu, difficultate Vrinae, febre aliisque Symptomatis a membranarum earundem irritatione graui ortus. Renum namque colatorium quia ab aduerto per arterias renales in ductus urinarios sanguine serum aliquod salibus impuris permixtum per tubulos pelvis separat, in pelvum ipsam abiicit et ad Vreteres transmittit; haut raro contingit, ut, si abundantior salium acrimum, et lymphae copia minor sit, familia haec indissoluta in tubulis uel peripheria remaneant, uias excretorias preecludant, eoque mictum difficultem et dolores efficiant; idque eo magis, quo fortius nunc

nunc neruosa Renum ac Vreterum, imo Vesicae substantia et uicinia pungitur. Serum hocce uitiosum, Arthritus ubi robur naturae adhuc ualidum, ad corporis peripheriam in Articulos quoscunque propellitur, ibidemque scoriis Θnis et ♀reis refertum quoniam fibras nerueas rodit et irritat, dolores Arthriticos, hosque eo acutiores conficit, quo maior dispositio in humoribus haereditaria uel adscititia, cacockymia scorbutica, abusus Ciborum salsorum, acidorum, uini ♀rei, ♀ris et irae aliarumque rerum malum exasperantium accedit. Huic enim malo aetas senilis prae aliis obnoxia, ob seri dulcis ac spirituosi defectum, atque tendinum et ligamentorum rigiditatem tonumque debilitatum.

## THES. XV.

Praecipuam autem morborum senibus propriorum Affectus se-  
classem efficiunt Symptomata a defectu atque uito num ex De-  
spirituum ita dictorum animalium, aut liquidi neruosi fecu et ui-  
dependentia. Quoniam enim in senibus solius aeta-  
tis uito digestiones atque secretiones omnes sensim Affectio spiritu-  
imminuuntur et languent, fieri aliter non potest, quam um.  
ut succus neruorum elasticus atque spirituosus sensa-  
tionum externarum et internarum causa principalis  
deficiat, aut uitosus generetur, eoque ipso tot anomaliae in sensibus externis internisque oriuntur. Ad Sensus ex-  
externas partes, quarum ope sensations peraguntur, ternalrum  
animum uertens eheu! quantum infirmitatum ac-  
cessionem offendit, quae senibus uitiae taedium af-  
fert. Eorum enim oculos non uegetos et claros, Hebetudo  
sed caligine obductos, adeoque ad uisum imbecilles, uisus.  
hebetes et lippientes, imo quandoque, si causae gra-  
uiores

uiores fuerint, plane coecos conspicio. Qui Affercus  
 uti uix certo includuntur numero; ita multifariis nomi-  
 nibus pro unius cuiusque sedis ac loci ratione insigni-  
 untur. Ortum autem omnes trahunt uel ab exsiccatis  
 aut relaxatis fibris Neruorum, Tunicarum, Vasorum et  
 Musculorum, uel Humoribus deficientibus, imminutis  
 aut uarie inquinatis. Similem in modum undique ex-  
 audiuntur Senum querelae de auditu, quem uel de-  
 prauatum, uel prorsus abolitum, uel si malum adhuc  
 ad portas est, ualde imminutum experientur. Accu-  
 satur hic pariter intemperies senum siue frigida, phleg-  
 matica et flatulenta, quae sordes aurium ita augere  
 potest, ut nullum aëri aditum concedant, non exclusis  
 Catarrhis glandulas meatum auditorium cingentes af-  
 fluxu suo seru iuiscidi occupantibus, siue etiam nimis  
 sicca, qua ipsa Tympani membrana tractu temporis  
 longo induratur et exsiccatur. Ut taceam interiorem  
 membranam subtilissimam per omnia labyrinthica  
 uia distributam, Musculos et quae plura ad recipien-  
 dum sonum spectant, quae a sola senectute ita laedi  
 possunt, ut difficultas auditus sequatur. Gustum quo-  
 que in Senibus diuersimode laedi, quid mirum? cum  
 constet, superficiem linguae postrema aetate aridam  
 existere, papillarumque neruearum laxitatem et ob-  
 structam porositatem adesse, imo Lympham saliu-  
 lem uel deficere, uel iuisciditate et inertia laborare, ut  
 causas alias breuitatis gratia praetermittam. Quid  
 Olfactus et denique Olfactus et Tactus sensui aliud contingit, quam  
 Tactus im- similis labes et pernicies? illi, quia Membrana pituita-  
 minutus ria Schneideri nares internæ inuestiens, organon odo-  
 ratus et secretionis muci non solum muco abundat,  
 Neruo-

Nerorumque extremitates inuoluit, sed etiam Nervi ipsi per totam eius substantiam dispersi exarescunt, aut ex cerebro egressi saltem comprimuntur et obstruuntur; huic quia influxus succi animalis in partibus maxime extremis remittit et stuporem inducit.

## THES. XVI.

**H**actenus enumerata mala ex sanguinis et Lymphae sensuum inutilis maximopere oriunda abunde quidem senes tenuorum affligere possunt, adeo, ut sufficeret tantum hostium numerum armis expositum habere, qui adhuc maior extitisset, si infirmitates alias annotare studium breuitatis permisisset: Nihilo tamen minus variae praeterita dantur; quae ex succi neruei motu uitioso in cerebro speciatim proueniant, et sensationes internas potissimum tangunt. Inter quas primum occupat locum Vertigo, praua imaginatio apparentis circumro-<sup>Vertigo</sup> tationis capitis et obiectorum sensibilium, cum subita caligine et obscuritate oculorum, nec non titubatione corporis, a motu et influxu Spiritus animalis inordinato, non in Nervo tantum optico, sed toto quoque cerebro, dependens. Contrahit uero haecce uitia succus Nervus, quando a subtilitate et spirituositate sua ingrauescente aetate degenerat, ob sanguinem uiscositatibus laborantem, ex quo per uarias triturationes elaboratur, quo facto canales eius obstruuntur et fibrae, si de acrimonia in primis participat, constringuntur ac irritantur, ut motus necessario fiat irregularis. Eadem ob causam adeo familiaris illis est Memoriae Defectus, <sup>Memoriae</sup> communis fere, de qua conqueri necesse habent, ae- <sup>Defectus</sup> rumna.

rumna. Quoniam enim ingenii uigor a corporis eu-trophia et bono habitu dependet, animaque nostra cum liquido nerueo arctissime coniuncta secundum huius constitutionem Obiecta per organa appropriata percipit, perceptaque repetit et quasi inprimit: euenit, ut, dum succus ille elasticus in senectute eodem modo, ac primum incrementum cepit, deficit, aut saltem corruptitur, Memoria fatiscat, tandemque omnes mentis operationes turbentur et Senes bis pueri fiant. Succus autem ille nerueus quo minus motum ab ob-jectis sensibilibus percipiat et deferat, uel culpa sui ipsius fit, si deficit, aut propter uisciditatem uehiculi sui impressum motum statim amittit, uel culpa via-rum, per quas illi in cerebro ire et redire coque ima-gines repetere debent, si scilicet obstructae, compres-sae et exsiccatae sunt. Sensuum itaque internorum labes tanto est periculosior in senibus, quanto magis indicat, cerebrum ipsum, sensationum et motionum non tantum animalium, sed etiam uitalium principium, opprimi, et uitio doméstico laborare. Quae causa est, quam ob rem Vertigo ac Memoriae defectus in senibus Affectus soporosos in propinquuo esse praenunciant.

### THES. XVII.

Affectus so-phorosi.

**A**gmen tandem Morborum senilium claudant Affectus ita dicti soporosi, qui praecipue Serum uitiae insidias struunt, adeo, ut omnes, qui solius aeratis culpa moriuntur, his succumbere obseruentur. Abolen-tur hic omnes sensus motusque animales uel sensim, sub Comatis, Lethargi et Cari nomine, uel subito in Apoplexia.

Apoplexia. In illis aegro tantum magna in somnum propensio est, cui in Lethargo febris ac delirium accedit, et aeger adhuc pro ratione gradus facilis aut difficilis excitatur. In hac uero uno impetu omnia concidunt membra, et sensatio ac motus omnis cessat, remanente solum motu cordis et respiratione difficulti cum stertore. Ut ut uero omnes hi Affectus originem debent influxui spiritus animalis ad organa sensoria et motoria inhibito: Sic culpa tum ipsi succo nerueo, tum organis secerentibus et deferentibus tribuenda est. Quo difficilius itaque succi animalis secretio in senibus, uti modo dictum fuit, perficitur, quod malum serosa et pituitosa colluuie in cerebro, sanguine ibidem stagnante aut uasa sua egrediente aliisque aggrauatur, eo familiariora ideo senibus sunt mala.

## THES. XVIII.

**P**ertractatis itaque Affectibus praecipuis, aetatis uitio senibus contingentibus, causisque specialibus huc facientibus perspectis, procedendum est ad praesidia, quorum beneficio senes protegi et defendi, aut iis correpti cito, tuto et iucunde subleuari possint. Inter illa uero primum obtinet locum Diaeta, seu prudens sex rerum non naturalium regimen, si ulli, senibus omnino maxime necessaria, quam optimum ad uitam longam et praecauendos morbos remedium esse supra demonstravi. Nil magis itaque senibus conducit, quam aer quodammodo calidior atque aestiuus, quia iuxta Hippocr. L. III. Aph. 18. bi melius ualent aestate et autumno, Contra cauendus est aer frigidus, nebulosus,

Cura Senum  
per Remedia  
Diaeterica,

D 2 pluui-

pluuiosus, uenti. Praeterea pro illis eligendi uenient cibi facilis digestionis bonique succi et aromatibus temperatis conditi, ac uitandi duriores, solidiores, flatulenti, fumo indurati, saleque conditi. Conuenit quoque illis potus cereuisiae bene lupulatae et defecatae, ac Vini antiqui spirituosi, nec non Spiritus Vini, praecipue phlegmaticis ad tonum uentriculi corroborandum ac digestiones et secretiones promouendas. Sic quoque ratio dictitat, aetati uergenti quietem magis, quam motus, in primis fortiores, ac somnum prae uigilis, quae alias in illa facile modum excedunt, ad restaurandas uires conuenire. Animi uero pathemata grauiora, uti in omnibus, ita praecipue in senibus uehementer nocent. Euacuationes denique sanguinis et feminis, nec non aluinæ excretiones nimiae uires destruunt, corpus eneruant spiritusque immintuunt.

### THES. XIX.

**C**hirurgica, **E**s fonte Chirurgico, multum quidem disputatur, an senibus conductat V. S. praesertim cum ueteres iam V. S. an et et existimauerint, postremam aetatem illam sustinere non posse sine uirium insigni iactura, ac hodie communis persuasio sit, sanguinem iis potius nouum, si fieri posset, infundi, quam partem eius subtrahi debere: Quam uero litem facile dissolui posse arbitror, si temperamentorum, aetatis ac ipsius Morbi aliarumque circumstantiarum respectus habetur. Vti enim nemini auctor suasorque sim, ut illam in senectute decrepita ac subiectis phlegmaticis et cachecticis languidisque adhibeat; ita illam admisisse non nocebit uiuidioribus, plethoricis, Cholericis, robore uirium adhuc

huc constantibus, ubicunque indicantia illam requiriunt, nec contraindicantia dissuadent. Huius locum Scarificatio, supplere quidem potest in assuetis Scarificatio, eius tamen usus nimium repetitus aequi vires absumere potest. Cucurbitulae autem siccae in Apoplectis ad Cucurbitulae siccae, humores stagnantes resoluendos motumque spirituum excitandum commendantur, quarum uertici capit is applicatarum ope Fracastorius olim virginem moniam liberauit, indeque ipse septuagenario maior Apoplexia correptus et sermonis usu destitutus manu faeppe uertici admota illarum usum efflagitauit, sed ab astantibus non intellectus, frustra expectato remedio, succubuit, ut Auctor mihi est Schraderus *Disput. supradicitat.* Insigni quoque cum fructu fonticuli et uesica-  
toria in senibus phlegmaticis et cachecticis ad catar-  
rhos ab oculis, auribus atque capite auertendos et apoplexiā praecauidam non minus ac curandam in usum trahuntur. Ad Chirurgica uel potius dome-  
stica remedia pertinent pectinationes et frictiones ca-  
pitis et artuum, quibus sanguis rarefit et somnus facili-  
tatur, quae in sopore et Apoplexia ad motum spiritu-  
um languescentium excitandum inseruire possunt.

## THES. XX.

Inter remedia pharmaceutica euacuantia quidem for-  
Pharmaceu-  
tiora nulla aetati senili conueniunt, nisi summa ne-  
cessitas talia postulet. Exulent itaque hic omnia Vo-  
mitoria Euacuantia,  
mitoria atque purgantia, quibus vires debilitantur, et purgantia  
succii uitiosi cum laudabilibus subtrahuntur, neruosum-  
que genus grauter afficitur, nisi Apoplexia aut Catar-  
rhus suffocatiuus in Cachecticis et phlegmaticis ad spi-  
rituum

rituum motum concitandum talia indicent, quem in scopum etiam Chlysteres fortiter stimulantes adhiberi solent. Alia uero res est usus laxantium blandiorum, cruditates abstergentium, bilis et menstrui uentriculi inertiam corrigentium, tonumque uentriculi simul roborantium, qualia sunt Rhabarbarum et Aloë, ac ex iis cum Myrrha et Croco facta Elixiria, ut et pilulae Aloëtiae. Haec quippe optima sunt serum prophylactica, unde dici solet in proverbio: *Qui uult uiuere annos Noae, sumat pilulas de Aloë.* Quod tamen promiscue intelligendum non esse quilibet statim uidet; quoniam his ipsis etiam nocere possumus siccioribus temperaturis, humiditate sufficienti alias destitutis. Ita pariter a sudoriferis fortioribus abstinentur, nisi Catarrhi et languor spirituum in phlegmaticis illa requirat. Mitius operantur diuretica, quae sine notabili uirium deperditione operantur, sanguinemque a scoriis impuris liberant. E numero euacuantum particularium quoque Masticatoria, Errhina et Fumus Tabaci phlegmaticis, Catarrhos egregie prosunt, ad caput a superflua humiditate liberandum, et Catarrhos ab oculis et auribus auertendos, nec non Olfactum et gustum confirmandum.

## THESS. XXI.

**A**lterantia. **N**unc Alterantibus pedem admoueo, quorum praecipua sunt neruina, cerebri et reliquorum uiscerum tonum roborantia, digestiones atque secretiones promouentia, uiresque confortantia. In iis tamen non minus selectus habendus est, ut siccioribus temperatiore ac cum humectantibus sociata, phlegmaticis uero generosiora magisque uolatilia balsamica propinuentur. Eminent hic

Sudorifera

Diuretica

Masticato-  
ria, Errhina  
et Fumas Ta-  
baci,

omnia sale &ili &so praegnantia, generi neruoso gratissima. Sigillatum contra debilitatem uentriculi ad conicitandum appetitum et concoctionem facilitandam conducunt aromata ac ex iisdem confecta, Tragaeae aromaticae, Morsuli imperiales, Essentiae Carminatiuae, Cinamom. Mastichis, Cortic. Ontiorum, Bals. Peruu. Aquae Carminatiuae, Vitae Matthioli, Cinamom. cydoniat. ac extrinsecus Bals. stomach. ex oleo Nucifae expresso, cum oleo still. Macis, Juniperi, Anisi, Cumini, Chamoei, ut et emplastra Carminatiua ad flatus discutierendos et uentriculum roborandum. Tali etiam elaborationem Chyli laudabilis promouent, et cruditates mucosas atque pituitosas a digestione debili relictas dissoluunt, sanguinis moleculas magis diuidunt, et sic Catarrhorum generationem praecaudent. Ad Catarrhos uero praeter laxantia et euacuantia alia antea commendata conueniunt Balsamica resoluentia, Ess. Gummi Ammoniaci, Succini, Myrrhae, Lignorum, aut si Catarrhi acres et scorbutici potius sint, pulueres neruini ex C. C. philos. Dente equi marin. Corall. glio diaphor. Succin. praeparato flor. ♀ris Cinnab. natiu. et ♂. Vbi humores isti pituitosi ad pulmones potissimum decumbunt, conueniunt in specie Essentiae Pectoral. Benzoës, Elix. ♀ris Mynsycht. Bals. ♀ris anisat. vna Asthma. Chemnizens. Quando autem temperatibus opus est, Tragaeae pectorales, Spec. de Tragac. frigid. Sperm. Cet. cum Elæosaccharo Anisi praeparatum, ut et Infusa et Decocca pectoralia ex Rd. Cichor. Helen. Irea florent. Liquirit. Rasur. Sassafr. Passifl. Hb. Veron. Hyssop. Fl. papau. et similibus in subsidium trahuntur. Qualia etiam in Scorbucitis et Ar-

In Debilitate uentriculi et Affectibus inde ortis,  
In Intemperie sanguinis phlegmatica et Catarrhis,

In Asthmate et Tussi,

In Nephritis de et Arthritide

thriticis cum pulueribus neruinis antea commendatis conducunt, quibus praeterea Anti-scorbutica specialia ad acredinem directa, et Diuretica, Ess. Antiscorbut. Magnif. Christ. Vateri, Lignor. Tinctura Qri, gii acris, et Qrisat. η Ori et Θis dulc. Laudan. Vrinar. liquid. Sydenhamii, nec non Infus. Theae laponicae uel ex Hb. Antiscorbuticis praeparatae aliaque iungi

In debilitate Cerebri et ritus excitandos in Debilitate sensuum et Affectibus soporosis faciunt spirituosa ac Θia Volatilia oleosa, Ambra, Moschus, et ex iis praeparatae Essentiae, Species ac Rotulae, Ess. Rorismar. Lign. Aloës, Meliss. Croci, Castor. Θ uolat. oleos. Sylvii, η C. C. succinat. Fulig. Qri, Bezoard, Balsii, Bals. Vitae va Magnanimit. Mirabil. Hoffmanni, Sophor. Dornkreilii. Non omissantur praeterea excitantia externa, quae in Affectibus soporosis uicem internorum, ubi illa applicari nequeunt, supplent, vae et Bals. Apopl. Anglic. Species pro facculis ex Herbis et Radicibus aromaticis in uino coquendis, uel in forma sicca applicandis. Per remedia igitur haec tenus commendata omnibus Affectibus senibus familiaribus optime obtuam iri, hisque cum prudencia adhibitis, divina assistente graria, uitam eorum ad plures annos protracta posse, confido.

SOLI DEO GLORIA.



Wittenberg, Diss., 1724 L-8



Sb

1078





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE <sup>SP.</sup>  
**SENECTVTIS**  
**PRAESIDIIS** <sup>NV</sup>

QVAM <sup>1724</sup> <sup>35-</sup>  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ACADEMIA VITTEMBERGENSI  
SVB MODERAMINE

**DN. ABRAHAMI VATERI**

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ANAT. ET BO-  
TAN. SVBSTITVT. VT ET SO-  
NAT. CVR. ET REG. BRIT.

**DN. PATRONI AC PRAECEP-**

COLENDI

**PRO GRADV DO**

AC PRIVILEGIIS IN ARTE

LEGITIME CAPEsse

*AD DIEM III. IVLII MD*

IN AUDITORIO M

HORIS ANTE ET POST MERIDIAN

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

AVCTOR

**M. ADOLPH. GOTTL.**

ANNAEBRG. MIS



VITTEMBERGAE LITERIS SC

